

perferrent, a suis Principibus missos fuisse, quam navali apparatu, maritimarum rerum disciplina, ac viribus sociam laboris, & præmii adsciscerent: jam tempus adesse, quo terribissimus christiani nominis hostis terrestribus, maritimisque copiis vinci aliquando assuesceret: proinde acriores ad bellum instaurandum spiritus fumerent, majorum pietatem, generosique animi laudem æmulerentur; incertæ, infidæ, atque iniquæ paci pium, ac justum bellum, quod brevi speratæ victoriæ fructus consequeretur, anteferrent. Ad hæc Landus Princeps respondit: quammaximas posset, summis Principibus habere, atque agere gratias, quod duorum præstantissimorum ducum insigni legatione condecorassent Rempublicam, ac propinquæ pacis spem, qua nihil eo tempore optatius contingere potuisset, significassent: circumfessæ enim undique tot difficultatibus christianæ reipublicæ quid salutaris? quid cunctis Europæ Principibus exoptandum magis? quid demum Venetæ Reipublicæ, quæ gravissimo, ac periculoso bello conflagraret, utilius, quam ut consociatis animis, ac viribus in sacrum bellum universi conspirarent? Id si felici fato eveniret, minime dubitandum, quin Respublica cunctis opibus, maritimis terrestribusque copiis, civiumque ipsorum egregio conatu ad eam gloriam, a qua ipsius incolumitas sejungi non posset, vehementi ardore anhelaret, atque incitaretur. Hæc Landus.

Postridie ejus diei Patrum Collegium legati adire, mandataque Cæsaris singillatim Vastius exposuit: a Carolo se ad Senatum missum, ut illi persancte affirmaret, ac polliceretur, in iis, quæ in Gallia cum Rege, in Belgio cum Maria sorore, & Ferdinando fratre Romanorum Rege fierent, colloquiis de christianæ tantum reipublicæ commodis, Venetisque præsertim rebus agendum fore: quæ illorum interessent, non secus ac sua, Carolo cordi esse: eam inter Cæsarem, & Regem animorum conjunctionem, & ad commune bonum inclinatam mentem extare, ut nihil ex ea, nisi præclarum, atque eximium expectari posset: proinde eorum nomine exquirere, quænam ad bellum in sequentem annum gerendum compararentur; ut, iis cognitis, opportuna capere consilia possent. Hæc summatim Vastius, quem Hanebaldus

*Petri Landus
di Principis
respondit.*

*Vastius &
Hanebaldi
officia in
collegio ha-
bita.*